



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De experientia, & imperitia. cap. xxix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

A *nimè fugit: sed lubenter eas intuetur.*

De experientia, & imperitia.

CAP. XXIX.



INDVIT Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam aream super caput eius, & vestiuit eum lorica. Accinctus ergo Dauid gladio eius super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere: non enim habebat consuetudinem. Dixitque Dauid ad Saul: Non possum sic incedere, quia non habeo vsu[m]. 1. Reg. 17.

B In multo tempore sapientia est: & in longa vita scientia. Iob. 12.
Non longæui sapientes sunt: nec senès sciunt iudicium. Si quis multarum rerum experientiam desiderat, nouit antiqua & futura coniectare. 32.

Gloria senum, multarum rerum experientia est: da operam ne te vel magnum vel paruum quid fugiat. Qui multarum rerum experientiam collegit, enarrabit prudentiam: qui autem vsu atque experientia caret, pauca nouit. Homo, qui multarum rerum experientiam consecutus est, non confundetur à facie. Vir, qui peregrinatus est, nouit multa: qui oberrauit, abundat dolis. Multa vidi inerrando: & prudentia mea sermones meos superat. Eccli. 34.

C Qui artem didicit, ac per longum vsu[m] & studium firmam eam, ipsiusque habitum altis radicibus defixum habet, potest iam iuxta artis rationes in animo suo insitas per se operari. Basil.

Sensus quouis sermone efficacior est ad colligendum experimentum.

Quod qui spiam minimè passus est, id de altero non facile crediderit. Qui autem id ipse sensit, ad assentiendum est paratior. Nax.

Experientia prudentiæ mater est. Ea cuiuslibet magistri instar est.

Quemadmodum qui cithara canere non didicerunt, citharam attingere non debent, nec qui tibiis ludere nesciunt, tibiis capeffere: eodè modo nec eos negotia suscipere conuenit, qui, quemadmodum per omne vitæ spatium iis vtendum sit, scientiam minimè consecuti sunt. Chryf. Clement.

D Omnis eruditi viri, atque vsu præditi actio, felicitas est: contra, omnis inscitia laborantis hominis actio, miseria. Iosephi.
Quotidianum studium experientiam paulatim alit.

De mansuetudine, & pietate.

CAP. XXX.



EDVCEt mansuetos in iudicio: docebit mites vias suas. Mansueti autem hæreditabunt terram: & delectabuntur in multitudine pacis. Ps. 24. 36.

Cum exurgeret in iudicium Deus, vt saluos faceret omnes mansuetos terræ. Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum. Suscipiens mansuetos Dominus. Exaltabit mansuetos in salutem. 75. 100. 146.

E Vir mansueti animi, medicus cordis. Melior est vir clemens cum humilitate, quam qui diuidit spolia cum contumelia. Beatus homo, qui semper est pauidus: qui verò mentis est duræ, corruet in malum. Pr. 2. 16. 28.

Fili, in mansuetudine opera tua perface: & super gloriam hominum diligeris. Eccli. 3. 10.

Radices Gentium superbarum euertit Dominus: & plantauit mites pro eis. Mat. 5. Tit. 3.

Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.

Nemo te contemnat. Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonu[m] paratos esse, neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostèdentes mansuetudinè ad omnes homines.

Mansuetudine opus habeo, per quam princeps huius seculi diabolus euertitur. Iuuenis mansuetus multa suffert. Ignat.